DISSERTATIO

DE

PARALYSI.

QUAM DEO DUCE

In celleberrimo Monſpelienſi Lycæo publicè tueri conabitur, Autor JOSEPHUS-HONORATUS GROS, Arelatenſis; apud Gallo Provinciales, Artium Liberalium Magiſter & Medicinæ Alumnus die menſis Martii 1747. ab meridiem.

PRO BACCALAUREATA CONSEQUENDO.

MONSPELII,

Apud AUGUSTINUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Typographum unicum. 1747.

R. R. D. D.

PROFESSORES REGII.

Illustrissimus D. D. FRANCISCUS CHICOYNEAU, Cancellarius & Judex, Regi à Secretioribus Consiliis, Archiatrorum Comes.

DISPUTATARI.

R. D. PETRUS RIDEUX, Decanus.
R. D. ANTONIUS MAGNOL.
R. D. HENRICUS HAGUENOT.
R. D. JACOBUS LAZERME.
R. D. GERARDUS FITZGERALD.
R. D. EUSTACHIUS MARCOT, Regis, Medicus perpetuò Ordinarius.
R. D. ANTONIUS FIZES.
R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

DOCTORES ORDINARII.

D. Claudius Chaptal.
D. Carolus Seranne.
D. Thomas Fitzmaurice.
D. Franciscus Lamure.
D. Dominicus Pestre.
D. Joan.-Petrus d'Arescis.
D. Ludov. Jac. Bergeron.
D. Andræas François.
D. Josephus Mestadier.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31882560_0002

Girolamo Rosi. I:

ILLUSTRISSIMIS

NOBILISSIMIS REVERENDISSIMIS

QUE VIRIS D. D. D. D.

DOMINICO ET CHRISOSTOMO

DE GAILLARD D'AGOULT,

EQUITIBUS MELITENSIBUS
& Commendatoribus Valentiæ & Podii
Lavalli apud Delphinates.

QUOD meas vobis offeram Theſe, Viri per ILLUSTRES ET NOBILISSIMI, non ut quin ſæpè ſepiùs à propoſito dimoverit muneris exiguitas. In re tam parvi momenti nunquam veſtrum fuiſſem auſus ambire Patrocinium, ni eo ipſo quod veſtro inſignita nomine, ſuum ab ipſo ſplendorem mutuaretur & gloriam; tantoque mihi in honorem verteret vobis præſtitum hominium, quantò magis elucent veſtra virtus & dignitas.

Verum quid loquor, dignitas ſtatim occurret animo Nobilis ac vetus proſapia è dignitatum ſinu quaſi educta & enutrita. Offerunt ſeſe mihi, Viri per celebre, non tam à dignitatibus, quam ipſa ab eis novâ luce coruſcantes celebret; fas eſt: toga majores ex ſtirpe veſtrâ in jure peritiâ, in rebus agendis ſolertiâ, conſiliorum maturitate, ingenii acie atque probitate morum eò ſpectabiliere, quò antiquitùs major eos fama commendavit. Viros celebret de Republicâ optimè meritos & purpuræ fulgore nitentes. Neque cadent arma toga, & profectò quid de præfecturis militum, quid de eximiis ducibus, quid de equitibus enarrare valeat facundia, quod longè non ſuperaverit eorum in certamine fortitudo ſtrenua, in Anguſtiis manet imperterrita atque in difficilibus prudentia quà nulla major.

Multa quidem illa ſunt, VIRI ILLUSTRISSIMI, quæ de proſapiâ Nobiliſſimâ paucis delibavi. Quanta occurent, ſi veſtra, uti par eſt haud imparibus afferre merita, laudibus aggrederer. Jam jam deterret operi difficultas, vixque locum dicendi præbent tot tamque egregiæ dotes quarum encomia celebrare, tantum ut ſplendoris detrabere, quia nunquam ſatis laudandæ.

Nec mirum igitur in ordine melitenſi ad altiores honorum apices evectos, præclariſſima obeuntes munia; apud optimates exiſtimatione florere ſingulari; non mirum ità plurimi vos facere ſummum Ordinis Magiſtrum ut in triremium

tuendæ religionis prætorem alterum è vobis jure meritò assumpserit, alterum ad alios paret honores. Non mirum, inquam, tantâ vos gloriâ circumfulsos. Quantam etenim non meretur & vestra in Deum pietas, in proximum benevolentia, in egenos beneficentia, quantam non meretur vestra hæc animi magnitudo inter rerum varietates permanens inconcussa, sublimis sapientia quâ dignitatis vestra amplitudinem sic sustinatis; mentis hæc perspicatiæ & optimarum artium cognitione culta, morum elegantia quæ omnium vobis corda devincit; sed quam multa reticeo, & mihi liceat, Viri undequaque Clarissimi, omnique jure Commendatissimi, alioquin nativa non ferret hæc vestra modestia. Verum votorum intima plenicis expendent Theses meæ vestro consecratæ nomini, atque, uti spero benignè à vobis erit acceptum istud obsequii mei pignus, noscatis utinam quali affectu ac reverentiâ me semper vobis devotum & addictissimum profitebor.

DISSERTATIO

DE

PARALYSI.

DEFINITIO.

PARALYSIS est abolitio vel notabilis imminutio sensûs aut motûs, vel utriusque cùm affectarum partium laxitate, illæso manente sensorio interno.

Ex quâ definitione patet sensus tantùm externos in Paralysi lædi.

Usus tamen voluit ut per paralysim intelligeretur tantùm læsio tactûs & motus partis præcipuè mobilis; cum reliqui sensus afficiuntur, tunc dicitur Paralysis visûs, v. g. vel aud. &c.

DIFFERENTIÆ.

Dividitur Paralysis in universalem & particularem. Universalis est ea in quâ pars magna corporis afficitur ut medietas corporis, & tunc hemiplegia vocatur, ut omnes partes sub capite positæ, & tunc paraplegia dicitur.

Particularis nuncupatur cum brachium v. g. tibia &c. Paralysi laborant. Dividitur quoque in perfectam & in

imperfectam perfecta est quandò sensus & motus imperfecta verò quandò alter uter tantùm oboletur, vel valdè imminuitur; præterea nulli affectui succedit Paralysis & tunc protopatica vel primaria; vel alteri affectui succedit ut Apoplexiæ & tunc deüteropatica vel secundaria dicitur.

CAUSÆ.

Paralyseos causa proxima est impeditus fluor liquidi nervosi in membrum, vel nimia nervorum laxitas. Causæ remotæ quæcumque talem fluxum impedire, vel nervum nimis laxium reddere possunt vulnera * secando nervos, luxationes, ligaturæ, tumores comprimendo, suppurationes destruendo, materiæ viscosæ obstruendo, humiditates relaxando Paralysim creabunt. Secto namque vel contuso nervo, ad membrum ferri nequit fluidum nerveum, ossa luxata, tumores varii ut ædema, schyrrus, plhegmo, abscessus, exostoses, nimis turgida vasa sanguifera, corpora extranea ut Mercurius, Plumbum, Stannum, nervos comprimunt, undè denegatur transitus spiritibus animalibus per eorum cavitates fluxuris.

Obstruuntur nervi à materiebus viscosis in origine nervorum impactis vel ab ipsomet fluido nerveo nimis spisso; tales viscosæ materies à pravis digestionibus, ab alimentis crassis, à frigore externo, à metastasi aliquá præ primis post diuturnam colicam, post Apoplexiam oriuntur; ab eisdem causis spissum fit fluidum nerveum.

Relaxantur nervi ab omni causâ quæ humiditatem superfluam progenerat, ut potus aquosus nimius, tempestas australis, remora in locis humidis, gestatio vestimentorum madidorum, vita sedentaria, constitutio cachectica Hydropica, &c.

Cum à causis suprà enarratis afficiuntur nervi ad

partes infrà caput posítas prospicientes, fit paraplegia; si nervi ad unum corporis latus, hemiplegia, si ad membrum aliquod particulare prospicientes afficiantur nervi, oritur inde Paralysis particularis.

DIAGNOSIS.

Diagnosis & symptomata hujus affectûs ex definitione satis patent.

Quomodo autem illæso motu lædatur sensus & vicissim illæso sensu lædatur motus restat explicandum. Scire autem licet diversos esse qui motui & sensui inserviunt nervos, cum igitur fasciculi nervei qui ad musculos protenduntur sani erunt, affecti verò qui in papillas cutaneas abeunt, tunc absque ulla motûs noxâ lædetur sensus, & è contra absque ullâ sensûs noxâ lædetur motus; si sanis existentibus cutaneis nervis, afficiantur qui ad musculum feruntur, perit autem vel valdè imminuitur sensus & motus cum nervi utrique infervientes resolvuntur; membra Paralytica magis elongata & molliora sunt solito, hinc motibus à causis externis imprimendis valdè obsequiosa. Causarum signa externarum sensibus patent, aut ægrorum astantiumque relatu cognoscuntur.

Internarum diagnosis, habetur ex prægressis, ex cognito ægri temperamento, qui verò locus sit affectus docet scientia Anatomica; si enim facies resolvatur, cerebrum est affectum, si partes omnes capiti subjectæ sint Paralyticæ, spinæ dorsi læditur tota, si dimidia; & sic de cæteris.

PROGNOSIS.

Paralysis morbus est curatu difficilis, difficile etenim ad nervos usque penetrat remediorum energia; para-

plegia periculosior hemiplegiâ. Hemiplegia ver periculosior Paralysi particulari : diù tamen vivunt Paralytici Paralysis perfecta curatur rariùs imperfectâ; universalis rariùs particulari; inveterata rariùs recenti ; à præcisione nervorum proveniens incurabilis , à compressis nervis nisi removeantur comprimentes causæ curari nequit cum membrum marcessit , vel summè frigescit , rarò vel numquam curatur ; senes juvenibus rariùs curantur.

Paralysis quæ Apoplexiæ succedit difficilis est curationis & periculosa ob causæ vehementiam ; ob metum recidivæ , nam facilè in Apoplexiam degenerat. Hyëmi difficiliùs quam æstate curantur Paralyses.

CURATIO.

Paralyseos curationem antequam tradamus, duæ afferendæ observationes à patre carissimo communicatæ quæ magnam hujuscem morbi thrapeïæ lucem infundent.

OBSERVATIO PRIMA.

SALVATOR *Barralier* forti donatus temperamento professione agricola quinquagesimum novum ducens annum oriundus è pago Mossanienſe dicto Arelatensi urbi tribus distante Leücis hujusque Arelatensis urbis incola subitò Apoplexiâ correptus fuit die vigesimâ septimâ mensis Novembris anno 1740. horâ septimâ matutinâ: post Bihorium ab invasione vocatus medicus eum absque motu, & sensu jacentem inveni cum laboriosâ respiratione & pulsu parum à naturali recedente, adversùs tam atrocem morbum statim omnem opem adhibui: præscripsi è brachio venæ sectionem elapsis aliquot ho-

is è jugulo, poſt è talo, depletis ſic ſufficienter vaſis artari emetici grana octo juſculo infundi * curavi; copioſa, & vomitu & ſeceſſu ſubſequitur evacuatio, horâ nonâ veſpertinâ abraſo capiti largum veſicatorium imponi jubeo invitis talibus auxiliis feliciter cæteroquin ſuccedentibus æger ferè totâ nocte obrutus eſt ſomno.

Sequente tamen die & menſis Novembris octavâ horâ ſeptimâ mediâ matutinâ tempeſtas ſilere incipit tranquillitate ſuccedente; caput multò liberiùs erat, pulſus meliorem obtinebat ſtatum, abſque labore peragebatur reſpiratio; à tali excuſſus ſomno neceſſaria poſtulat æger.

In ſanitatis via licet conſtituto ad novum præcavendum inſultum mannæ uncias duas & ſemicem & pulveris cornachini grana quadraginta in juſculo ſtatim præſcripſi ægro, in primis viis contentæ materies ano potenter eliminatæ fuêre. Præſcriptis & ſumptis remediis in hoc caſu ordinariis ab Apoplexiâ ſanus evaſit æger.

Curato morbo primario; de ſuccedaneo agebatur ſenſum & motum, brachium & tibia ſiniſtri lateris amiſerant perfecta Paralyſis paroxiſmi tempore orta hæc membra omninò occupabat, inaniaque veddebat. In hoc lacrymali ſtatu; omni ſpe exutus morbum cum vitâ tantùm finiturum dolens, novem diebus domi tranſactis noſocomium generale hujus civitatis Spiritum Sanctum dictum poſtulavit æger die ſextâ menſis Decembris hoc intravit. Commiſeratione percitus nova tentavi conamina, ut infelici ſuccurrerem; ad metam propoſitum tritæ non ducebant viæ, novam ingreſſus ſum à Medicorum choro ſecedens. Minerale & animale regnum ſedulus ſed fruſtra, percurro, vegetale luſtro, & ſe ſe mihi offert planta ſpecifica, ad ſolamnem non ſolùm ſed & ad perfectam efficax medelam.

Paucis nunc expono methodum quam feliciter adhibui.

tali non admiſſo, ſibi metipſi, in iiſdem ferme lineis, contradicere celeb. Authorem, quod vix credibile; allegavi inſuper Authorem maximi nominis Vanſvieten, qui eundem Ruiſchii textum citabat, ſed cum correctione quam veriſimillimâ conjecturâ aſſecutus fueram. Quidni ipſe egregius antagoniſta, qui me in diſtinguendis typographorum erroribus ſolertiſſimum agnoſcit, principiis iiſdem, quibus ego, non uſus eſt? Cur non demonſtravit, ſi ex eo loco ſummi Chiracii deduceretur pulſum non ſemper eſſe frequentem, ſecum pugnantia loqui clariſſ. virum? Cur correctionem ab alio quopiam Authore jam factam, non exhibet, hacque methodo ſuam conjecturam non firmat? Hæc ſi præſtitiſſet quid reſponderem, mihi nihil ſupereſſe lubens concederem. verùm tantum abeſt ut verba ſummi viri, exquibus deducitur pulſus deeſſe quandoque frequentiam in Febribus malignis, cum reliquis, quæ ſentit, contradictionis vel minimumquid involvant, quin è contrà facillimo negotio probari poſſit, etiam in his caſibus, in queis pulſum admittit fermè ſimilem naturali, frequentiam ab ipſo quandoque excludi, ſic p. 331. (*a*) *ſequitur quod dum pulſus erit propemodùm ſimilis naturali in Febre peſtilentiali, vel ſimpliciter malignâ, aderit ſemper ſignum magis fauſtum, quam dum pulſus erit inordinatus, parvus, frequens & immutatus*. Ex quo patet evidentiſſimè maximum in arte virum opinari Febres eſſe malignas quæ non eſſentialiter ſibi adjunctam habent frequentiam.

VIII.

Verum eſt quidem, ſervando textus Chiraciani integritatem, aliquid in ſtilo minus conſonum legibus

(*a*) Chirac p. 331. du pronoſt. de la F. mal. il s'enſuit que lorſque le pous ſera à peuprès ſemblable au naturel dans la Fiévre peſtilentielle ou ſimplement maligne, ce ſera toujours une circonſtance & un ſigne plus favorable, que lorſque le pous ſera dereglé, petit, fréquent & alteré.

grammatices obſervari; ſed quis unquam ad amuſſim exactam ſermonis puritatem apud Authores, *didacticos*, ita ſcrupuloſe deſideravit, ut quotièſcumque a grammaticâ regularitate diſcederent, protinùs, ad errorem typographycum recurrendum judicaret; dum experientiâ quotidianâ conſtat vel in terſiſſimis muſarum amæniorum fætibus, ſæpius eos ſermonis nævos irrepere qui ab omnibus ad Authorum incuriam referuntur. Non ergo multùm deteretur de celeb. Chyracii laude, ſi ipſum quandoque minùs accuratè locutum eſſe dixerimus; & tanto minùs, quod & ipſummet opus vivâ voce dictaverit, & ipſe in lucem non emiſerit opus poſthumum. (*a*) ex iis igitur patet proferri poſſe, ſine audaciæ crimine, & abſque detractione laudis ſummi viri, ipſum minùs purè ſcribere, quin & dictare potuiſſe. Unde concludemus correctionis fundamentum, quod totum vertitur neceſſitate, comptiſſimæ locutionis, in Authore didactico reperiundæ, prorsùs nullum eſſe. Neque inde culpari poſſum quod omiſerim a Chiracio Febrem veſpertinis horis ex acerbatam memorari p. 12. reſpon. nam inde quidem deducitur fuiſſe Febrem, ſed non Liquet, ideò pulſum non fuiſſe naturalem, ſi quidem hæc eſt ipſamet lis dequâ agitur, an Febris dari poſſit cum naturali pulſu? Quam litem jam deciſam ſupponit vitioſo circulo antagoniſta, dum, ex eo quod fuerit febris, illicò deducit ergo pulſum non fuiſſe naturalem.

XI.

Gravia ſunt, ſi adverſario fides, ea quæ hactenùs adversùs me protulit; ſed multo jam graviori telo ſum confodiendus, quod tamen *Sed invitus* (p. 13.) torquet vir humaniſſimus; mihi faventem Tauvrii obſervationem (p. 5. vind.) citaveram, inquâ pulſus LENTUS & depreſſus repertus eſt in Febre malignâ. Craſſi erroris redarguor, dum pulſum LENTUM cum raro confundere

(*a*) Avertiſſement de l'éditeur, *ibidem.*

videor; cujus quidem ignorantiæ culpâ si vacarem, quâ ratione Tauvrianam observationem, veluti pro me pugnantem, in medium afferre potuissem. Hîc triumphali stilo plura congerit adversarius ex ipsomet tauvrio aliisque authoribus, queis evincitur pulsum LENTUM esse posse, & tamen FREQUENTEM, quandoque pulsum celerem cum raro conjungi; sedulò itaque animadvertendam inter hosce pulsus, RARUM ET LENTUM, differentiam, quâ notatâ liquet in morbo, quem descripsit tauvrius, pulsum LENTUM potuisse simul & FREQUENTEM esse. Talem distinctionem authorum omnium suffragiis, *qui à galeni temporibus de pulsuum differentiis scripserunt, & unanimi Medicorum consensu*, evidentissimè constare monet.

Ex eo quod pulsus lentus observari possit simul & frequens, sequitur revera, in casu allato frequentiam FORTE repertam esse, sed non CERTO liquet; nam potuit pariter cum pulsu raro lentus conjungi. Itaque juxtà severioris & subacti ratiocinii leges, in eo duntaxat viderer reprehendendus, quod observationem attulissem quæ distinctè mihi non faveret, sed nullo pacto dici possem ea adduxisse quæ Antagonistæ patrocinarentur. Unde multo levior culpa, & humanæ naturæ parùm caventi, ab æquis rerum æstimatoribus, facilè condonanda. Verùm nequidem sub hoc respectu censurâ nimis dignus videri debeo; etenim si res bonâ fide, æquâ lance perpendatur, facilè innotescet, vel ipsomet Antagonistâ judice, tauvrii observationem mihi longè potiùs favere, quam ipsi; siquidem, juxtà tauvrium, pulsus celer PLERUMQUE cum frequenti conjungitur & pulsus celer ALIQUANDO cum *raro* reperitur, unde deducitur ratione contrariorum tardum, seu lentum cum raro sæpiùs conjungi. P. 13. respons. igitur dum pulsum LENTUM memorat idem author, multo verisimiliùs est hunc fuisse observatum cum raro, quam cum frequenti junctum; nam, quod PLERUMQUE observatur, credi debet potiùs observatum, quam quod ALIQUANDO tantùm contingit.

X. Undenam

X.

Undenam ergò habet optimus Antagoniſta me pulſum lentum & rarum promiſcuè habuiſſe, cum admiſſâ etiam hâc diſtinctione, non ita arduè Tauvriana obſervatio pro me militare deprehendi poſſit, apud æquos, nec præjudiciis occæcatos judices. Noveram quidem talem differentiam à Galeno, plurimiſque Authoribus traditam, non tamen omnium Medicorum ſuffragiis, & unanimi conſenſu firmatam. Etenim inter recentiores celeberr. Artis Magiſtri illam omittunt, vel de induſtriâ, tanquam vix ac ne vix quidem obſervabilem refellunt. Sic Boheravius dum de pulſu arteriæ ut ſigno, *celeris & tardi* nullam mentionem habet. Pitcarnius, ſi dentur tales pulſus, tamen à nobis obſervari non poſſe, tactûs ope, diſertè aſſerit, imò & demonſtrationem aggreditur. *Pulſus* " dicitur celer cum „ arteria per minus tempus quam aſſolet, in dilatatione „ ſummâ perſeverat; tardus, cum per majus; atqui diffe- „ rentia temporum, quibus arteria in diverſis dilatatio- „ nibus detinetur, eſt inſenſibilis digito tangentis. Quippe „ quâvis horâ, in homine mediocriter ſano, eduntur pul- „ ſus 3600, cum pulſus quilibet reſpondet horæ minuto „ ſecundo, cujus minuti pars aliqua debet inſumi, dum „ arteriæ latera ſpatium aliquod percurrunt, donec ad ſum- „ mam dilatationem perveniant: alia pars inſumi dum illa „ ſe reducunt ad anguſtias ſuas naturales, hæc enim omnia „ tempore iſtius minuti ſecundi, ſive partis horæ ter mil- „ leſimæ & ſexcenteſimæ debent abſolvi. Undè patet illam „ partem ipſius minuti ſecundi, quæ relinquitur pro du- „ ratione ſummæ dilatationis, debere eſſe tam parvam, „ ut non poſſimus eam minorem cognoſcere ope digito- „ rum attingentium. Hujuſmodi pulsûs, *tardus* ſcilicet, & *celer* in ſtatu à naturali parum recedente, vel non dantur vel tactu diſtingui non poſſunt. Bellini, *Edit venet.* p. 53.

Hinc lector quivis judicet, quonam jure adverſarius ſuperbiat unanimi Medicorum conſenſu? reverâ, ſi quid ſentio palam eloqui datur, vix, niſi à pauciſſimis, exerci-

atissimisque, talis differentia deprehendi potest, & præterfugit maximam partem medicorum, fortè, & ipsissimum competitorem, quamvis illius fautorem acerrimum.

XI.

Simili cavillatione. P. 14. in me invehitur strenuissimus Antagonista, quasi dixissem uspiam, aut subindicassem, frequentiam pulsûs non reperiri posse cum ejusdem *parvitate*, *depressione*, *languiditate*, &c. Cur sic iniquè sentiat, facit allegatio conditionum pulsûs à celeberrimo Chiracio, & Illustrissimo Archiatrorum Comite, adscriptarum initiis Febris malignæ; frequentia inquit adversarius cum iis jungi potest; nec negavi, sed, ex eo quod omissa fuerit illius mentio à clarissimis & seduliissimis viris, ideò non fuisse, existimandum credidi; quod ait prolatum ab Illustr. Archiatrorum Comite scilicet, Febrem malignam, cum signis cæteris Febribus acutis essentialibus aut FAMILIARIBUS, nimirum cum *horrore*, *rigore*, PULSUS FREQUENTIA, se prodere (pag. 10. resp.) id dictum censeri potest generaliter, & proindè exceptionem pati: & aliunde nihil contra sententiam nostram molitur, nam vir clar. memorat signa ESSENTIALIA aut FAMILIARIA, & citat horrorem, rigorem, PULSUS FREQUENTIAM indiscriminatim: quâ de causâ ipse adversarius, FREQUENTIAM PULSUS essentialibus potiùs quam familiaribus accenset? Numquid potiùs eam hisce postremis annumerandam suadet hujus simultanea commemoratio cum *horrore*, *rigore*, quæ, symptomata esse Febris essentialia, ab ipso competitore dici nequeunt, cum illa omiserit in sua definitione symptomaticâ: ille itaque vitiosi circuli iterum insimulandus, qui quoties videt memoratam frequentiam, eam ex præconcepta opinione essentialem Febri protinus existimat.

XII.

Visonis de Febre malignâ sententiam attuli, non ut ex eâ quidquam adversus Antagonistam elicerem, sed ut

auctoritas præsto esset, quâ firmaretur non nullos jam existimasse Febrem malignam excludi posse è numero Febrium; quod quidem non præterfugisset eximium competitorem, si pag. 10. vindic. primas lineas attentè legisset.

Ex quibus omnibus satis eluceſcit, nequicquam tentatam fuisse refutationem eorumce Auctorum, quos mihi faventes citaveram, proindè merito me supersedisse prolixiori novorum textuum recensioni dum quos attuli, satis sunt, ut à me prolata confirmetur opinio. Quo quidem ex prægressis demonstrato, jam ad secundæ partis responsionis Examen transire juvaret, nisi priusquam mittatur adversarius, scisscitandus veniret quâ fide? quâve diligentiâ prætermiserit in suâ responsione, Menjotii celeberrimi viri Historiam Febrium malignarum accuratissimè tradentis, Auctoritatem, mihi summopere faventem, nec à me omissam; idne factum credi debet quia Auctoris verba adeo sunt clara, ut omnem ingenii subterfugientis astutiam eluserint? Ita certe, nam Menjotius (*a*) non modo aliquando nihil mutatum pulsum memorat in Febre malignâ, sed ibidem, cur pulsus perstet IMMUTATUS, explicare satagit & varias ejusdem Phænomeni, *proinde cogniti*, explicationes ab aliis traditas prolixè refellit. Sit ergò lippis & tonsoribus notum rectè me statuisse, definitionem febris, ex præternaturali frequentiâ pulsûs petitam, gravissimis difficultatibus premi; has non solvit Antagonista: ab alio tamen minimè solvendas, non, præ modestiâ quæ juniorem Medicum decet, asserere ausim; neque enim uspiam dixi inconsultè (uti ex verbis quæ pro meis, sed falso, venditat adversarius, quisvis credere posset) *ipsum & unà cum ipso omnes neotericos errare.*

XIII.

Postquam in meis vindiciis sic evicissem, vix ac ne

(*a*) Menjot Feb. malig. Histor. pag. 34.

vix quidem aliquid certi in dignoſcendis Febribus ex præternaturali pulsûs frequentiâ deduci poſſe, aliam definitionem NEQUE NOVAM, quæ mihi vero propior videbatur, ſtabilire moliebar; nempe dixeram, Febrem tutiùs definiri, *morbum in quo vis cordis, ad vim conſtantem muſculorum voluntati ſubditorum, ratio major eſt, quam in ſtatu ſanitatis*: neque vel verbulum in *vindiciis* additum fuit. Quidquid ſuadere velit parum fidè Antagoniſta egregius. (pag. 18.) Porrò, ut illius veritas aſſerti liqueret, evidens eſt mihi fuiſſe tradendam methodum quâ vires tum vitales, tum muſculares in ſtatu ſano & morboſo deprehendi poſſent; quò nimirum iis ſemel æſtimatis, inter eas quædam comparatio ſtatueretur in utroque caſu. Re verâ. 1°. Aggreſſus ſum (pag. 10. vindic.) ſolutionem problematis quod proponebat determinandum *an à medicis æſtimari poſſint cordis vires, ex legibus hygraulicorum, quantum artis exercitio ſatis eſt*; Corollario ex variis poſtulatis deducto, affirmavi, varia media, quibus hygraulici uti ſolent in menſurandis fluidorum per canales propulſorum viribus, in promptu eſſe Medico; ſiquidem cognoſcere poteſt quantitatem propellendam, velocitatem & reſiſtentias, per ſigna non minus obvia quam eſt ipſa frequentia; ſcilicet, per pulſûs magnitudinem, frequentiam, tenſionem, duritiem & per Phænomena, Plethoram, inanitionem, viſcoſitatis gradus indicantia, quæ docent ſemeïotici; quæque omnia ſigillatim videbit expoſita in Commentariis Cl. Vanſwieten ad aphor. Boerhavii de calore Febrili; quem Auctorem conſulat oportet egregius competitor, ut ipſi pateat quo jure, actum agere nolens, in opuſculo conſcribendo non immoratus ſim, fusè proſequendis ſignis reſiſtentiarum alibi traditis, quæ à nemine Medicorum ignorari credere potui, cum, ut eleganter, quamvis obſcuriſſimè ait, (pag. 22.) EA VIRTUTI MEÆ PRONA HABEAM. Nec tamen is fui qui memoratas æſtimationes protulerim certis numeris, rigore Geometrico finiendas, ſed dum-

taxat acribeïa Physicâ, quâ diligentiorem ipse numquam reperiet, si quæratur determinata ratio frequentiæ pulsuum in omnibus subjectis.

Hoc problemate soluto; ad alterius solutionem properabam, quo exposcebatur *methodum assignari cujus ope vires musculorum voluntati subditorum inter se comparari queant in sano & morboso statu*; Corollario, 20. Ex variis quoque postulatis deducto (p. 13. vindic.) eruebatur methodus proposita: quibus sic præmissis, totidem ad instar lemmatum, propositionem statui quâ constaret, sanitate perstante quandam rationem perpetuò servari inter vim cordis & musculorum voluntati subditorum: quænam esset illa ratio, determinavi (pag. 14. vindic.) & pluribus exemplis firmavi, ità tamen ut asseruerim hujusce rationis *exponens* nullo numero certo exprimi posse.

Ex iis semel præstabilitis, deducebatur, Medicum attentione debitâ cognoscere valere, *an ratio hæc turbata sit, nec-nè, & quomodò?* (pag. 14. vindic.) undè jam omnia prægnita habebantur queis intelligi posset propositio, non ORACULUM, quâ propugnabatur Febrem esse morbum in quo vis cordis, ad vim constantem musculorum voluntati subditorum, ratio, major est quam in statu sanitatis.

XIV.

Plurima circà veritates hactenus propositas, aggerit Antagonista optimus in secundâ parte suæ responsionis; quæ jam seorsim sunt expendenda, postquam tamen ab ipso quæsierim quâ veritatis specie scripserit (pag. 17.) me *de pulsûs magnitudinis vi æstimandâ* sollicitum fuisse, qui, neque in prælectionibus, neque in vindiciis, uspiam pronuntiarim *pulsûs magnitudinem esse de essentia Febris.*

Nunc ergò ad solvendas objectiones propiùs accedamus; quas ad propria capita, quæ confuse, & promiscuè impugnavit adversarius, ordinis gratiâ, referre juvat.

XV.

Quod attinet ad methodum quâ æstimari possint vires cordis, 10. Notat. p. 20, respons. *me amplum eroneis computationibus locum præbere*, dum quantitatem sanguinis è corde projecti mensuro expulsûs magnitudine. id ut evincat non unam sequitur argumentandi viam: nimirùm ratione diversi & *infinitè variabilis rarefactionis gradûs*, modo majorem, modò minorem diastolem ab eâdem propulsâ è corde sanguinis quantitate, expectandam esse contendit, quia sanguis, prout magis minúsve densus est, minùs aut magis arteriarum parietes ab axi diducit, quamvis non mutetur determinata cruoris copia.

Verùm utcumque daretur, dum regulæ generales statuuntur, omnia supponi paria non debere, tamen ex allatâ difficultate nihil erui posset adversùs sententiam à me prolatam. Enim verò *hi diversi & infinitè variabilis rarefactionis gradus* prorsùs sunt fictitii, uti opinor constare vel ipsi erudito antagonistæ. Nam vel tales inducendi sunt à motibus intestinis fermentationis aut putrefactionis, vel à calore; ab illis vix credo cuiquam expectandos, chymicorum somnia jamdudum obsoleta, non ignoranti. ab hoc igitur supereſt tales rarescentias excitari. porrò quid valeat caloris gradus varius ad densitatem sanguinis mutandam discere debuisset adversarius Ex accuratissimo experimento clariss. Georg. Martin, (*a*) is etenim demonstravit sanguinem, in calore triplò minori quam est ille quo gaudet intrà corporis humani vasa, positum, non nisi centesimâ parte densiorem fieri; unde satis facilè deducetur, vix, ac ne vix quidem sensibilem rarefactionis gradum, eo inferendum calore, qui maximus observari potest in homine vivo, nunquam naturali duplo major.

Jure igitur certiora adversùs me tela depromere sata-

[*a*] Ess. & Observ. de Med. Edimb. tom. 2. p. 79.

git ex incorruptâ veri cuſtode geometriâ, quo ſucceſſu? Docebunt ſequentia. *Si in arteriam p. 21. reſp. cujus determinata ſit ſectio, è corde emittatur ſanguinis uncia, cujus baſis ſit arteriæ dilatatæ ſectio, & longitudo quatuor linearum, ejuſdemque arteriæ radius nunc quâcumque de cauſa duplus fiat, ſectionem ejus quadruplam exinde evaſuram evidens eſt; unde, ſi vis cordis* EODEM CONSTET GRADU, *memorata ſanguinis uncia quadruplam ſectionem pro baſi habens unicâ pollebit longitudinis Lineâ; in tali ergo ſuppoſitione manifeſtum eſt* EAMDEM TRANSITURAM FORE SANGUINIS COPIAM, SEU SECTIO ARTERIÆ SUBQUADRUPLA, SEU QUADRUPLA FUERIT, *neque tamen eadem erit in utrâque ſectione radii elongatio quâ pulſus magnitudo vel exiguitas dignoſcuntur, minùs enim illius augmentum in ſectione quadruplâ, majus in ſubquadruplâ requiretur. Unde .... diverſa omnino, cum eâdem cruoris è corde projecti quantitate pulsùs magnitudo obſervari poterit, cum permanens arteriæ ſectio multiplicibus* (a) *cauſis mutari poſſit.*

Dolendum quidem operam & oleum luſiſſe antagoniſtam egregium, ut ea evinceret quæ me non præterfugerant, quæque notâ p. 10. vindic ſubnexâ, cautus monueram. Quid enim toto hoc geometrico apparatu demonſtrat Adverſarius? Quantitatem ſanguinis non determinari mathematicè per pulſûs magnitudinem, prout intelligitur à medicis, eam ex radiorum arteriæ differentiâ metientibus, & idipſum ſatis indicaveram, dum ex illâ TANTUM PROXIME' ſpatium à parietibus arteriæ percurſum, in quavis diaſtole, deduci aſſeverabam. quin & hujus quantitatis menſurandæ rationem mathematicam exhibet nota citata, namque edocet illam quantitatem eſſe ut quadratorum diaſtoles & ſyſtoles diametrorum differentiam, quam ſi computandi normam ſequitur anta-

(a) Semper ſectio *permanens* reſpondet quantitati ſanguinis in vaſe præſentis independenter à contractione cordis, quæ menſuratur ſatis exacte *plenitudine* pulſûs diſtinguendâ ab ejus magnitudine.

goniſta, facilè deprehendet, quod demonſtrare voluit, à me jam cognitum, nec prætermiſſum; tamen retinui uſitatam medicis metiendæ magnitudinis pulsûs rationem quia, notâ p. 10. v, quadrata diametrorum medicum latent, & illorum ſimplex differentia, ut pote veritati Phiſicæ, proxima, digito ſubjecta ſufficit, quod facillimè demonſtrari poteſt. (*a*) Fruſtrâ igitur ex geometriâ, & hygraulicâ ſuppetias precario advocavit, cujus quidem memoratæ ſecundo loco ſcientiæ utinam leges non ita ruditer violaſſet. Harum paulò peritior factus numquam STANTE EODEM VIRIUM CORDIS GRADU, *Pronuntiaſſet eamdem tranſituram fore ſanguinis copiam, ſeu ſectio arteriæ ſubquadrupla ſeu quadrupla fuerit* intrà idem temporis ſpatium; nam hygraulici tyrones edocentur, velocitate eâdem datâ, quantitates, dato tempore, effluentes ex vaſis, eſſe eorum ſectionibus proportionales. Iterùm norunt virium radices quadratas, quibus reſpondent velocitates, viribus iiſdem datis, eſſe ſemper æquales.

XVI.

Si fides adverſario, non minùs à ſcopo aberravi, dum velocitatem metitus ſum ex magnitudine & frequentiâ pulsûs per ſe multiplicatis. Nam p. 22. reſponſ. *Si cum ſubduplâ pulsûs magnitudine, dupla ſupponatur adeſſe frequentia, eadem, juxtà meam hypotheſim, debebit adeſſe velocitas*, ſecùs tamen ac veritati conſonum eſſe demonſtrare ſatagit Antagoniſta. Talem autem errorem, ſeu Corolarii, ex me deducti, falſitatem, inde evidenter patere aït, quod in caſu quem propoſuit p. 21. quemque præcedenti Paragrapho examinavimus (in quo ſupponit STANTEM VIM cordis in eodem gradu) in ſectione quadruplâ de-

[*a*] Nam quando inſenſibilis eſt Diametrorum mutatio, ad menſuram, vix eſt aliqua notabilis Quadratorum differentia; ſed arteriæ ſuas inſenſibiliter mutant Diametros, in dyaſtole & ſyſtole; ut probatur experimentis, ergò, &c. Qui generalem cupiet demonſtrationem hanc reperietoperi ſubnexam quam pro meâ non vendito.

monſtrari poſſit quadruplò minor velocitas, quam in ſectione ſubquadruplâ; ſiquidem in tali hypotheſi, dum ſanguis percurret unam lineam, in ſectione majori; quatuor, in minori, peragrabit. Undè deducit neſcio QUIBUS PRINCIPIIS, QUA NOVA ARITHMETICA, velocitatem fore duplam dum, ex meâ ſuppoſitione, eamdem eſſe ſequeretur. Verùm ſatis manifeſtum eſt, hanc difficultatem Hygraulicis legibus, perperàm intellectis, unicè deberi. Etenim quotieſcumque vires erunt eædem ut ſupponit adverſarius velocitas eadem erit, quæcumque demùm ſit ſectio vaſis. Quam veritatem vel hygraulicis tyrunculis cognitam eſſe, ſuperiùs animadvertimus; ita ut luce meridianâ clariùs pateat, etiam in prælaudatâ Antagoniſtæ hypotheſi, fore eamdem celeritatem, prout ipſemet ex meis principiis deduxerat. Hinc ſtabit firma menſurandæ velocitatis propoſita methodus, quæ facilem demonſtrationem admittet apud quemvis, tantùm non ignarum circulationis legum, & prætereà ſtabilitur authoritate ſummi Boheravii celeritatem ſupputantis ex ictuum cordis numero collato cum pulſuum magnitudine. (*a*) ex dictis eruere licet, non fuiſſe feliciorem Antagoniſtam in refellendis iis quæ de velocitate, quam quæ de magnitudine dixeram; experiamur an magis fauſto omine, reſiſtentiæ penſitandæ generales methodos à me indicatas, impugnaverit.

XVII.

Quæ mox, prædictam adversùs methodum affert Antagoniſta, non niſi vagè & interrogando, proferuntur. Feror promptè nimis & JUVENILITER judicium ſtatuere circà ſigna, ſanguinis permanentis quantitatem, gradum viſcoſitatis, perpenſos affrictus, parietum reſiſtentiam, indicantia; & in eo videor ipſi culpandus, quod hæc omnia tradi à ſemeïoticis ſolum ſcripſerim, ſicque ſine ullo labore,

[*a*] Comment. Van. T. 2. Aphor. 679.

rem mihi expeditam habuerim, quam longè difficiliorem clinici, neque certè infimæ notæ, reperiunt; sed jam paragrapho XIII. hujus, celeberrimum Authorem citavi, in quo hæc signa fuse admodùm, & enucleatè, proponuntur, ut notum fieret me inutili duntaxat labori supersedisse; miror verò quod clinicis non infimæ notæ hæc omnia esse incognita asserat; enim verò numquid, in indicationibus desumendis, attendunt ad Plethoram? Num ad spissitudinem variam humorum? Numquid pulsuum duritiem, tensionem, sedulò perpendunt antequam methodum, quâ morbus sit debellandus, determinent? numquid bonâ fide eos ancipites esse dicitur, in iis cognoscendis, ex quibus quotidiè indicationes Therapeuticas haurire tenentur? Certè vix vel ipsimet adversario talia inaudita crederem jactari potuisse, nisi fuisset respondendi necessitate coactus. Porrò quænam alia signa expetivi, ut determinarentur resistentiæ, præter ea, quæ Plethoram, spissitudinem, &c. Denotant? nunc autem quærit, ut summam resistentiarum, *ex iis singulam*, certis numeris præfiniam. Impossibile est nec necesse, ut probatur ex eo quòd clinici, ex generali tantùm horumce determinatione, utilissima depromant ad morborum therapeïam instituendam. Rursùs scisscitatur an *cuncta hæc prompte expediri queant à clinico, intrà tempus præsertim quod ad Febris præsentiam, vel absentiam declarandam insumitur*, ita meherclè, neque enim longiùs ad id requiritur tempus, quàm quod insumi debet, ad deprehendendas pulsuum varietates, & cognoscendam fluidorum & solidorum, in quocumque morbo, conditionem, quæ quidem, ut perspiciant clinici, satis apud ægros immorari debent; cum ex iis perspectis, vel ipsomet fatente Antagonista, (*a*) medendi ratio solummodo innotescere possit: iterùm rogat *an Medicorum unanimitas* (*pag.* 23. *Respons.*) *in illis stabiliendis sit expectanda*: eadem procul dubio quæ obser

[*a*] Quæst. medicâ IIâ. Thes. disput. p. 29.

vatur, dum de plenitudine, frequentiâ, duritie pulſuum agitur, quamque non reperiri, nullâ veri ſpecie propugnari poteſt. Tandem me percontatur quâ de causâ dixerim ab eo pronuntiatum, *à Medicis earum reſiſtentiarum nullam, haberi, aut haberi poſſe rationem in æſtimandis cordis viribus*? Reſponſio in promptu, neque ſolum ex dictis, quæ ſegnius irritant animos, ſed ex ipſomet Antagoniſtæ ſcripto petenda. Nam mecum fateatur neceſſum eſt à eorum non haberi, aut non haberi poſſe, vel debere rationem, in quibus æſtimandis & comparandis, in diverſiſſimas partes irent clinici. *Sed in hiſce* (puta reſiſtentiarum) *æſtimatione & comparatione inſtituendis in diverſiſſimas partes ituri ſunt clinici*, (*a*) Ergo ſi ſuis inhæreat principiis eximius competitor, omnem virium cordis ſuputationem, ex reſiſtentiis, tanquam inutilem & impoſſibilem, ablegare debet; quam revera ablegandam dictis priùs quâm ſcriptis, jamdudúm aſſerüerat. Ex quibus notum fiet, ni fallor, parùm ideò ſibi conſtare Antagoniſtam, in eâdem paginâ, ut me falſæ accuſationis reum inſimulare queat quamvis immeritum.

XVIII.

Hactenùs manet inconcuſſa ſolutio problematis quo inquirebatur, an vires cordis æſtimari poſſint ex hygraulicorum legibus. Nunc alterius propoſiti, circà virium muſcularium conſtantium menſuram, falſitas an ab adverſario probata fuerit, examini ſubjiciamus.

1o. Notatur (p. 23.) a me non rectè ſtatui vires conſtantes eſſe in ratione compoſitâ vis actualis & potentialis, cum æquent, ſeu, ut comptè cum Antagoniſta loquar, VALEANT utriuſque ſummam.

2o. *Plurimos ex meâ opinione p.* 24. *naſcituros fore caſus, in quibus clinico impoſſibile erit aliquid de Febre ſtatuerê.* quæ duo ſeorſim perpendenda veniunt.

Quoad primum, animadvertere liceat, ab eximio com-

(*a*) Pag. 23â. Reſp.

petitore nullam aliam fuiſſe prolatam menſuram vis actualis & potentialis, quam quæ fuit a me tradita (p. 12. vindic) & æquum erat ab ipſo meas menſuras admitti, dum redarguere volebat propoſitionem ex iis deductam. Itaque ſatisfecero, ſi conſequenter ad menſuras vis actualis & potentialis exhibitas, & datam vis conſtantis definitionem, demonſtraverim eam eſſe in ratione compoſitâ virium ſupràdictarum. Porrò ad ſequentia, vel leviter, attendenti, rem ita ſe habere, luculentum fiet.

Effectus præſtiti, quales ſunt multiplices exantlati labores, variaque exercitia, vim actualem exprimunt [*p. 12. Vindic.*]

Gradus levitatis corporis ad ſenſum, qui correſpondet ſenſui interno, quo ſibi quiſque conſcius eſt ſimiles effectus, aut etiam intenſiores a ſe exeri poſſe abſque defatigatione, exprimit vim potentialem.

Vis quælibet, in homine obſervanda, eſt actualis, aut potentialis. Ex hiſce tribus clarum fiet vim totalem fore majorem, quoties vis actualis & potentialis intendentur & proinde eſſe in ratione utriuſque compoſitâ. Sic ex eo quod vis corporum adaugetur, prout moles, & velocitas increſcunt, ſtatuunt phiſici vim corporum eſſe in ratione compoſitâ & molis & velocitatis. Sed vis totalis exprimit vim conſtantem muſculorum, quæ definitur (p. 22. vindic) ea quam nutu voluntatis exercent aut exercere queunt cum facilitate, ergo vires conſtantes muſculorum voluntati ſubditorum ſunt in ratione compoſitâ vis actualis & potentialis.

Aſt ulteriùs tendo, & abſurdum ſequi ex æſtimatione vis conſtantis per ſummam vis actualis & potentialis demonſtrare lubet, quod ſic conficitur.

Qui idem pondus duplo majori cum facilitate quam alter ſuſtineret, hoc dicetur duplo fortior, axioma præbet ſenſus communis.

Sed quid repugnans huic axiomati ſequeretur ex æſtimatione vis totalis per ſummam vis actualis, & poten-

tialis. Nam ſupponatur pondus ſuſtentatum eſſe decem libras, facilitas in uno ex hippoteſi erit 1. in alio 2. ergo ſi vires totales in utroque eſſent inter ſe ut 10† 1 vel 11. ad 10 † 2. vel 12. qui numeri ſummas exprimunt juxtà computationem ri adverſarii, ſequeretur, quem ſenſus communis docet duplo fortiorem eſſe, fore dumtaxat, unà duodecimá parte valentiorem, quod contradictionem demonſtrandam involvit. Vix monitu opus eſt vim actualem repreſentari per pondus, & potentialem per facilitatem, quâ ſuſtinetur. Hoc enim ſatis ſuperque liquet ex definitionibus harum ce virium traditis pag. 12. & 13. vindic. igitur rectè ſtatui vim conſtantem eſſe in ratione compoſitá vis actualis, & potentialis. Proinde Corollaria ex propoſitione demonſtratá fluentia, nolit, velitve Antagoniſta, erunt æternæ veritatis. Ergo age expendamus quinam ſint ex mea opinione naſcituri caſus, in quibus clinico impoſſibile erit aliquid de Febre ſtatuere XVIII. numerantur illi pag. 24. in *quibus æger, mente captus eſt, vel delirus, vel apoplecticus vel affectu quócumque ſoporoſo detentus, vel etiam quoties dormiet, quoties ſurdus, aut mutus erit, quoties interrogatus a medico reſpondere recuſabit; quoties neque medici interrogantis idioma intelliget, neque pariter à medico intelligetur, quoties infans erit, neque adhuc voces ſciet reddere, vel præ ætatis teneritudine parum congruenter eas reddet*; mox quæritur eadem pag. *quonam fundamento fulciet medicus, quanam baſi munibit judicium quod circá vis potentialis æſtimationem & comparationem habebit, & quomodo vires quæ in ſano fuerant dignoſcet.*

Circá primum ſilere dicor, quoad ſecundum media quæ indicavi, ſcilicet *interrogatio ægri, aut aſtantium, inſpectio ægrotantis temperamentum, ſtatura, vitæ genus & ſimilia haud ſufficere videntur. Quià memoratis in caſibus nequit æger reſpondere, & adſtantes vel poſſunt deeſſe, vel ſi adſint medicum adeo non edocent, ut potiùs eum niſi, expertus ſit, in errorem inducant, quia inſuper*

inſpectio ægri, ejus ſtatura ad illius vires [præteritas inprimis] dignoſcendas ſæpiſſime fallunt, cum æger non reſpondeat, ſæpiuſque adſtantibus ſit ignotus, plura deerunt ad illius temperamentum, & vitæ genus cognoſcenda.

XIX.

Antequam ad hæc quæſita reſpondeam, liceat adverſarium optimum viciſſim interrogare; numquid ex ſolò frequentiæ pulsûs gradu cognito Febris præſentiam aut abſentiam dijudicet ? Negabit certiſſime ; nam vult inſuper functiones læſas cognoſci. Etenim Febrem deffinit pag. 2. *per frequentiam pulsùs cum notabili & conſtanti functionum læſione junctam.* Ergo juxta ipſum duo erunt medico cognoſcenda, priuſquam ſtatuere aliquid poſſit de Febris præſentià, ſcilicet frequentia pulsùs, & læſio functionum. Quomodo autem læſas functiones intelliget ſi vel non poſſit fidere reſponſis ægri, *quod accidit quoties mente captus erit aut delirus, vel quoties non reſpondebit quia apoplecticus, dormiens, ſurdus, mutus aut reſpondere recuſans, aut interrogantis idioma non intelligens, aut infans, vel quando reſpondebit parum congruenter præ ætatis teneritudine.* Si quid poſſit in iis ce caſibus, circà Læſionem functionum ſtatuere, independenter ab adſtantibus, inſpectione ægri, temperamento, ſtaturà, vitæ genere & ſimilibus mihi magnus erit appollo. *Donec autem mirum ſui arcanum orbi medico detegat* pag. 20. Reſponſ. *juxtà ejus principia poſſibile nulli erit de eorum ægrotantium Febre vel minimùm pronuntiare.*

Quibus poſitis eluceſcit telum quod in me vibrat, in ipſum facillimo negotio retorqueri poſſe, difficultatemque communem utrique ſententiæ, nullam deſtruere. Proinde quæ mox tanto hiatu prolata ſunt ne vel minimum quidem perſtringere veritatem opinionis quam tueri conatus ſum, vel adverſarii definitionem æquo jure ſubvertere.

Quo notato interrogatus quonam fundamento circa vis potentialis æstimationem nitar in hisce casibus; respondebo, me prorsùs destitui medio quod ad vim potentialem æstimandam statui OPTIMAM MENSURAM esse scillicet sensu interno (pag. 13. vindic) in apoplecticis, caroticis, abolito; & ideo me non asseverare posse dari Febrem in hisce morbis; quà propter non pronuntio, tunc febrem adesse, sicque non adversor clinicis Febrem nullam admittentibus in iisdem circumstantiis. In reliquis affectibus soporosis non deest omnimodè sensus internus, quo igitur utcumque imperfectiús, tamen aliquatenús dirigi possum juxta principia stabilita (pag. 13. vind.) in deliris & mente captis, ad ea quæ prægressa sunt & ex adstantibus noscere possum, quidquid dicat Aversarius, attendo, ut dijudicem an illæ præcesserint causæ, queis vires exhauriri potuerint; nam prout majores minoresve illæ extitere pronum est concludere quænam jam supersesse possint; quod si defuerint adstantes, & ægri respondeant sese optimè habere, tunc ne decipiar, suadeo, ut sese conentur movere, qui adeo bene sibi valere videntur, quod si nequeant præstare nisi difficilè, concludo menti perturbatæ deberi responsum & reverâ vim potentialem esse imminutam, quamvis hujus imminutionis non conscii sint propter dilirium, quod inde manifestatur. Si muti surdi &c. extiterint ægrotantes, ex Phænomenis quæ in ægro præsentia sunt, juxta regulas semeiotices à nemine Medico ignorandas, conjicio quænam sit vis totalis, habito respectu temperamenti, staturæ, ætatis, circa quæ plura possunt edoceri ab adstantibus; quæ quidem media tum ad vim potentialem, tum ad vim actualem dignoscendas utilissima fierî possunt, quidquid contrà suadeat Adversarius, quem abunde refellit clinicorum experientia, qùi sæpius, uti suprà, non alia ratione uti possunt ad perspiciendam functionum læsionem: & quidem quod sufficit deprehendendo functionum defectui; cur eodem jure non satis

eſſet ad intelligendas diverſitates virium, in quarum ratione ſolet eſſe functionum exercitatio. Uti docent phiſiologi. Ex eo patebit quid habeam reſpondendum ſecundo quæſito, ſcilicet, quomodo dignoſcere poſſim quænam fuerint uires in ſano. Iiſdem nimirùm mediis quæ, in vindiciis attuli, & quorum validitatem modo demonſtravi, adſtipulante omnium clinicorum uſu. Hi ſiquidem multùm, non ad ægrum ſolum, ſed & præſentes, & externa attendunt, juxtà hypocratis monitum. aphor. 1.

Itaque ni fallor ſatisfeci quæſitis optimi competitoris, circà æſtimationem virium dequâ plura poſſent, ſed vetant dici, operi præfigendi limites. Aliunde methodum vis conſtantis metiendæ, ab ipſo impugnatam, certam demonſtravi, ergò ſtat firmo talo ſecundi problematis ſolutio, p. 12. vindic.

Ex dictis (XIII. XX.) igitur liceat inferre ſolutiones memoratas, quarum veritas intacta manet, in ſequentibus prò principiis adhiberi poſſe, & ideò jam præſto eſſe methodum, quâ vires, tum cordis, tum muſculares conſtantes, æſtimari poſſint atque inter ſe comparari & in ſano & in morboſo ſtatu: quâ methodo generali cognitâ, jam videndum, quonam modo inter ſeſe habeant vires illæ in ſtatu ſano. Hunc modum determinat allata. pag. 14. vind. propoſitio, quâ conſtat, intrà LIMITES SANITATIS viribus circulationis creſcentibus, vim quoque conſtantem muſculorum creſcere perpetuò; decreſcente verò priorum energiâ poſterioris efficaciam labefactari ſeu imminui: Hanc propoſitionem *lubens ſibi adoptat.* P. 26. reſ. adverſarius, obſervat tamen poſſibile non eſſe rationem, quæ inter eas vires adeſt, precisè determinare, quod quidem concedo, ſed 1o. Ex eo quod non poſſit exprimi numeris certis, *exponens* hujuſce rationis, deduxit, *nihil concludendum venire quod ad meam hypotheſim applicetur.* 2o. *Si aliquod exinde eruatur Corollarium, certè meæ opinioni adeo non favebit ut potius è directo illi adverſabitur.* Quibus difficultatibus mihi ſatisfaciendum eſt, neque difficile

ficilè, aut prolixè penſum exſequar ; nam , quoad priorem; ſi crediderit eximius Antagoniſta *meam* ut vocat *hypotheſim* inniti Geometricâ determinatione rationis ſuprà dictæ; quod hæc dari non poſſit , illa prorſus evertitur. Aſt ſi requiro dumtaxat Phyſicam acribeïam , & generaliter tantum expreſſam rationem; quum hæc aſſignetur per propoſiticnem , cujus veritas conceditur , eâ perſtante , unde firmetur , aliquid hypotheſi meæ, accedat , neceſſum eſt ; porrò , dicta à XIII. XX. relegenti , patebit evidentiſſimè , me numquam poſuiſſe , neceſſitatem determinationis Mathematicæ.

Quoad poſteriorem difficultatem , videtur Antagoniſta illam repetere ex eo quod mea Febris definitio ponat , *vires muſculares non creſcere eâdem ratione quà vires vitales.* quod quidem directè repugnat propoſitioni quâ ſtatuitur *eas creſcere & decreſcere ſimul,*

Miror Antagoniſtam optimum non advertiſſe, proportionem ſuprà memoratam afferri de viribus intra SANITATIS LIMITES conſideratis ; dum quæ ſtatuitur de Febre, conſiderat eaſdem in ſtatu morboſo , & proindè diverſa eſſe poteſt â priori , utcumque ex ipsâ deducatur; nemini enim non notum eſt ideò morbum præſentem eſſe quia res in humano corpore alio modo geruntur quàm in ſtatu ſanitatis. Si ergò demonſtrare potuerim toties dici Febrim adeſſe , quoties ratio inter vires cordis & muſculares ità turbatur , ut in majori ratione creſcant vires cordis , aut in minori ratione decreſcant quam vires muſculares conſtantes; ſequitur , in eâ ſic turbatâ ratione, conſiſtere morbum hunc quem dicent Febrim, modò tamen nuſpiam illa perturbatio obſervatur , quin Febrire dicantur ægrotantes. Id ipſum eſt, quod protuli pag. 14. vind. dum aſſerui *Febrim morbum eſſe in quo vis cordis ad vim conſtantem muſculorum voluntati ſubditorum ratio , major eſt , quam in ſtatu ſanitatis.* Hujus aſſerti veritatem multiplici modo impugnat Adverſarius, quo ſucceſſu? Jam jam patefiet.

XX.

1o. Definitionem illam Febris, in eo culpandam aſſeverat quod ſit pahologica. 2o. Quia afferri poſſunt exempla in quibus Febrim vigere pronuntiant clinici, neque tamen obſervatur tale incrementum virium cordis, habito reſpectu ad vim conſtantem muſculorum, ullâ viâ determinandum. 3o. Quia caſus citari poſſunt, in queis longè alio modo ſe habet hæc ratio, quam à me expetitur, nihilominus datâ Febre juxtà Medicos, alii vero qui, rationem ſic turbatam exhibent ut fert mea definitio, quamvis nulla Febris agnoſcatur Hiſce ab erudito Antagoniſta prolatis, contraria prorsùs ſi demonſtrare potuerim, nihil opinor præſtandum ſuper erit ad ſtabiliendam Febris definitionem, in vindiciis datam; id autem negotii jam in me ſuſcipio

1o. Febris definitio quam propoſui, ſymptomatica eſt; etenim hoc ſolum ad ſymptomaticam definitionem conſtituendam, expetitur, ut deſumatur ex Phænomeno Pathognomonico: atqui, quam attuli, definitio, petitur (1o.) ex Phænomeno, illam enim ſuppeditat ratio vis cordis, ad vim conſtantem muſculorum voluntati ſubditorum, major, quam in ſtatu ſanitatis. Porrò hæc ratio, Phænomeni nomine apud Medicos inſignienda venit; nam Phænomena vocantur in ſemeioticis, *ea omnia quæ ſenſibilia habentur ipſa*, VEL INDE QUAM PROXIME DEDUCTA. Boerh. Inſt. Parag. 875. ſed ratio hæc deſumitur proximè, ex qualitatibus pulsûs ſenſibilibus, magnitudine, frequentiâ, duritie, &c. Et ex effectibus corporeis & ſenſu interno, de quibus omnibus per viam ſenſuum fit certus Medicus, quod patebit attendenti ad ſupià memorata à XIII. ad XX. ergò verum eſt Phænomenum. 2o. Pathognomicum eſt Febris; quoties enim adeſt Febris reperitur; quando abeſt, nulla obſervatur. Definitio igitur Febris, quæ fuit ex TALI RATIONE, verè petitur ex Phænomeno Pathognomonico, & proindè eſt ſymptomatica.

IIo. Nullus datur morbus cum Febre, in quo aſſigna-

tum virium cordis incrementum, habito reſpectu ad vim conſtantem muſculorum non aliquâ viâ determinandum ſit; citat adverſarius Phrenitidem, in quâ *ſæpè* tum vires cordis, tum vires muſculares (pag. 19. reſp.) adaugentur, & inſuper, modus afferri non poteſt quo pateſcat, an priores in majori ratione creverint. Sed vires muſculares in Phrenitide non ſunt conſtantes, juxtà definitionem *vis conſtantis*, ſuprà traditam, quod innoteſcit ex eo quod terminetur ille morbus intrà dies ſeptem ad ſummum, integrâ proſtratione virium, Apoplexiâ nimirùm, aut alio affectu ſoporoſo. Neque dici poteſt, nullum modum aſſignari, quo determinetur, quænam ex illis viribus magis adauctæ fuerint, niſi præſuppoſitâ falſitate ſolutionum problematum primi & ſecundi, de quibus ſuprà; illæ enim ſolutiones ſi legitimæ ſint, dant methodum quæſitam; jam verò illarum veritatem inconcuſſam eſſe demonſtravimus; ergò aſſignatus fuit modus quem expoſtulat Antagoniſta, quique tranferri poteſt ad æſtimandas vires & earum rationem in Febribus lentis, hecticis, & cæteris hujuſcemodi, quas memorat adverſarius pag. 20.

IIIo. *Nulli caſus citari poſſunt in queis longè alio modo ſe habeat hæc ratio, quàm à me expetitur, nihilominùs datâ Febre*: neque enim quidquam faciunt exempla deſumpta ex Febris putridæ initio pag. 19. *In quo ſemper adeſt pulsûs depreſſio; Febris malignâ in quâ ità quandoque imminuitur ut vix appareat; frigus Febrile tum in continuis tum in intermittentibus; Febres demùm algidæ & ſyncopales.* Memoratis his caſibus, quærit an in illis vires adauctæ ſint, an imminutæ? Si dixerim adauctas, ſignum poſcit, quo tales demonſtrentur, ſin imminutas contenderim, rursùs vult dari ſignum, *quo conſtet clinicis, illas imminutas eſſe, ſed in minori ratione, quàm muſculares.* Quibus ſic reſpondere lubet, quandoque adauctæ ſunt vires cordis, quàndoque imminutæ. Adauctas cognoſcetur, ſi nulla cauſa præceſſerit quæ vires exhaurire potuerit, ſubitò invadente morbo, ſi dentur ſigna viſcoſitatis majoris, uno verbo reſiſtentiarum, in prægreſſis memorata; tunc enim

quamtumvis algidi, frigidi deprehendantur ægri, quantumvis exiles, depressi pulsus observentur, non tales esse credi debent propter imminutas, sed oppressas, fermè æquilibratas vires, quoad se, multo majores quàm in statu sano: & reverâ id ità esse docuit observatio, quâ in Febre Leypiricâ, externis frigentibus, cum pulsû exili, formicante, vena secta in brachio emisit sanguinem tanto impetu, quanto solet projici in saniſſimo viro; quod nobis videre contigit non ità pridem, quodque sincerissimâ & sanctissimâ fide referimus, nulli dubitantes, quin pluries expertissimis practicis idem visum fuerit; neque illud Phænomenon adscribere poteram vi cardiaci paulò antè venæ sectionem exhibiti, nam nulla ab eo inducebatur mutatio in pulsu, qui dumtaxat alterâ venæ sectione in pede celebratâ, validior factus fuit, frigore externo simul evanescente.

Ex quo liquebit quantum in praxi utile sit, oppressas ab imminutis viribus distinguere; tamen quandoque sunt imminutæ vires, talesque docent signa iis contraria, quæ mox indigitavimus. Sed imminui in minori ratione quàm musculares, noscemus ex methodo comparandarum virium quæ hactenus steterit firmissima. Nec prodest Antagonistæ exemplum ex anthrace desumptum. Pag. 20. *In quo, cum pulsu debilissimo, ægri vim musculorum voluntati subditorum, ità aliquando exercent, ut ambulent & varia sua munia obeant.* Enim verò, ut aliquid ex tali casu adversùs me deducere posset, foret ipsi probandum, quod omnis anthrax essentialiter stipetur Febre, secùs ac docent Practici, sic *interdum Carbunculi initium, multo ante tempore conspicuum quam Febris est.* Fernel, de Feb. pag. 487. & paulo inferiùs, QUANDO CARBUNCULUS SINE FEBRE EST *quis omne virus in affectâ sede collocet?* Sic Pareus de Anthrace.

Tandem *nullus casus rationem sic turbatam exhibet ut fert mea definitio quamvis nulla Febris agnoscatur.* Affert quidem in exemplum Adversarius pag. 20. *Febris malig-*

næ nundum declaratæ præludium, in quo ſine ullâ in pulſu mutatione, virium muſcularium adeſt oppreſſio Sed undenam habet, niſi ex præconceptâ opinione, tunc non adeſſe Febrem, cum illuſtriſſimus Archiater, qui per initia Febris malignæ, pulſus non infrequenter, ſanorum pulſus æmulari refert, pag. 4. Feb. mal. inter ſymptomata quæ *ex unanimi conſenſu cultorum artis* ad malignitatem Febris aperiendam primas obtinent, memorat inſignem virium lapſum abſque cauſâ manifeſtâ; ex quo patet, cum pulſu naturalem æmulante, virium oppreſſionem eſſe ſignum Pathognomonicum Febris malignæ; tamen ſic hallucinari poſſe competitorem, non adeo mirum videbitur, ſi noverimus ab ipſo ſtatui, *ſummam virium oppreſſionem*, *anxietatibus*, *animi torpore*, *appetitûs languore ſenſuum hebetudine*, *aliis que ſymptomatibus ſtipatam*, *ſæpe evenire*, *aliquot diebus* ANTE MORBI INVASIONEM, pag 4. *Reſponſ.* Unde pronum eſt juxtà ipſum, graviſſima hæc ſymptomata ſine morbo fuiſſe quod an pathologiæ primis rudimentis conſonet, medicis judicandum relinquimus.

Pateat igitur ex hoce xx. Febris definitionem à me allatam deſumi ex ſigno hujus pathognomonico, proindeque optimam eſſe, vel egregio Antagoniſtâ judice, ſicque ne minimum quidem detractum fuiſſe de eorum certitudine quæ proferebantur in ſecundâ parte vindiciarum.

Jam ordo poſtulat ut nos conferamus ad tertiæ partis reſponſionis examen, quod quidem pauciſſimis inſtituetur.

XXI.

De Mechaniſmo palpitationis agitur, an qualis ab antagoniſtâ propoſitus fuerat ex Cathedrâ, Williſio debeatur, aut clariſſimo Profeſſori regio Pariſienſi; quæſiveram ab egregio competitore (pag. 23. vind.) *An non*

palpitationis explicationem è Cathedrâ propositam omnimodé fulcivisset motibus recto & conversionis, rité intellectis & demonstratis? Cur interrogatus non respondet? cur me falso ab eo quidquam de motibus recto, & conversionis prolatum, dicere, non propugnat, qui tam seduló *Historiæ veritatem* adulteratam restituere satagit? numquid ex hujus silentio, licebit inferre, basim explicationis quam tradiderat, innixam fuisse cordis motibus suprâ dictis, quos cum dixerim (p. 27. v.) à Clarissimo Ferrein primò distinctos & demonstratos, neque dissenserit Antagonista in suo responso, erit evidens Mechanismum ab ipso traditum palpitationis, non Willisio, sed Professori citato celeberrimo deberi.

Verùm est huic explicationi fundamentum quasi jecisse Willisium, dum in palpitatione primus agnoscit expansionem sinuum preternaturalem, pro causâ conjunctâ illiùs morbi; neque uspiàm negavi talem sinuum dilatationem ab Willisio adinventam, imò ex eò quod illam disertè adinvenerit, dixi, reperiri aliquatenùs ipsam explicationem huic invento superstructam, sed tamen mancè, jejunè, & obscurè, fuisse ab eo prosecutam.

Antagonista pluribus paginis demonstrat optimè expansionem sinuum venosorum in palpitatione ab Willisio primùm admissam, disertè, Enucleatè; non nego, ad quid eruditionis hæc jactura? sed motus rectum & conversionis, ex illâ quidem dilatatione pendentes tanquàm ex causâ, Willisio prorsùs incognitos propugnavi, ne verbum de iis scripto profert Antagonista, qui multus fuerat in eorum Mechanismo evolvendo ex Cathedrâ; ex quâ prætermissione deducam, optimè sentiisse competitorem eximium, se non posse inventi palpitationis Mechanismi gloriam in Willisium refundere, si scripsisset eadem, quæ *non foribus occlusis, sed coram senatu iatrico*, numerosa philiatorum coronâ protulerat; porrò cùm ipsum ideò dumtaxat impugnavissem, quia motus *rectum & conversionis* genuinam palpitationis explicationem suppe-

ditantes, Williſio tribuiſſet diſertè, enucleate ex iis rem totam explananti, cùmque in ſcripto, non neget quidem, à ſe multa ex motibus recto & converſionis deſumpta ad explanandam palpitationem, ſed fileat, quamvis interrogatus, non eſt cur diutiùs huic articulo immorer examinando, in quo multùm deſudat adverſarius in iis probandis quæ conceſſi, ne verbum quidem profert in iis evincendis quæ præfractè falſa eſſe contendi; animadvertam tamen necquicquam Antagoniſtam allaboraſſe, ut Wilſii excuſaret errorem, circà baſim cordis quam diſertè exprimit, tollentem coſtas; nam ſubterfugium, quod molitus eſt vir ſagaciſſimus, linguam latinam ſi quis bonâ fide calluerit, prorsús nullum eſt, quod legenti citatum locum in reſponſo pag: 35. patebit.

Qui omnia hactenus dicta perpenderit facile, ni fallor, judicabit, quâ veri ſpecie ſcriptum ſit elegantèr ab Antagoniſta (pag. 30.) me ita ab eo *compreſſum, ut gradum ſiſtere debuiſſem.*

Jam itaque ad examen vocata ſunt quæcumque viſa fuere idonea competitori, *ut ſuam deffinitionem Febris, meà meliorem, uti gloriabatur, ſuperexaltaret* (pag. 3. Reſpons,) & Williſio non debitum honorem reſtitueret; hæc quanti ſint, penſitatis hinc & inde rationum momentis, penes eſt judices integerrimos decernere, mihi tantum ſupereſt ut Antagoniſtæ, pro eâ, qua uſus eſt, in meis erroribus redarguendis urbanitate ſummâ, gratias agam ampliſſimas.

Si vas quodcunque datum ſanguine plenum, à nova quantitate Sanguinis dilatetur; ita ut diametri ejuſdem vaſis in utroque caſu ſpectati quantitate exiguâ diſcrepent, erit hæc quantitas de novo adveniens quàm proximè ut differentia ſimplex diametrorum.

SIT d ═ diametro vaſis, dati.

Sit a ═ augmento diametri per dilatationem facto erit d † a ═ diametro vaſis ejuſdem in dilatatione ſpectati; $d \dagger a \overline{\overline{\quad}}^{2} - a^{2}$ erit ut quantitas ſanguinis de novo adveniens; quæ (q) deſignetur; eſt igitur $2da \dagger a^{2}$ ut q; cum autem (a) exiguum admodum ſupponatur reſpectivè ad (d) erit etiam a^{2} inſenſibile, cum 2da comparatum; eſt enim $2da : a \overline{\overline{\quad}}^{2} 2d : a$, adeoque a^{2} ſenſu Phyſico erit contemnendum; eſt itaque 2da ut (q) & ob 2d datum, erit q ſeu quantitas ſanguinis de novo adveniens ut a, ſeu ut diferentia ſimplex diametrorum.

Permis d'imprimer, JAUSSERAND, *Juge-Mage - Lieut. Gén.*

MONSPELII,

Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Typographum unicum.
die primâ Febr. 1749.

DISSERTATIO

DE

PARALYSI.

QUAM DEO DUCE

In celleberrimo Monſpelienſi Lycæo publicè tueri conabitur, Autor JOSEPHUS-HONORATUS GROS, Arelatenſis; apud Gallo Provinciales, Artium Liberalium Magiſter & Medicinæ Alumnus die menſis Martii 1747. ab meridiem.

PRO BACCALAUREATA CONSEQUENDO.

MONSPELII,

Apud AUGUSTINUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Typographum unicum. 1747.

R. R. D. D.

PROFESSORES REGII.

Illuſtriſſimus D. D. FRANCISCUS CHICOYNEAU, Cancellarius & Judex, Regi à Secretioribus Conſiliis, Archiatrorum Comes.

DISPUTATARI.

R. D. PETRUS RIDEUX, Decanus.
R. D. ANTONIUS MAGNOL.
R. D. HENRICUS HAGUENOT.
R. D. JACOBUS LAZERME.
R. D. GERARDUS FITZGERALD.
R. D. EUSTACHIUS MARCOT, Regis, Medicus perpetuò Ordinarius.
R. D. ANTONIUS FIZES.
R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

DOCTORES ORDINARII.

D. CLAUDIUS CHAPTAL.
D. CAROLUS SERANNE.
D. THOMAS FITZMAURICE.
D. FRANCISCUS LAMURE.
D. DOMINICUS PESTRE.
D. JOAN.-PETRUS D'ARESCIS.
D. LUDOV. JAC. BERGERON.
D. ANDRÆAS FRANÇOIS.
D. JOSEPHUS MESTADIER.

Girolamo Rosi. I.

ILLUSTRISSIMIS

NOBILISSIMIS REVERENDISSIMIS

QUE VIRIS D. D. D. D.

DOMINICO ET CHRISOSTOMO

DE GAILLARD D'AGOULT,

EQUITIBUS MELITENSIBUS & Commendatoribus Valentiæ & Podii Lavalli apud Delphinates.

QUOD meas vobis offeram Theſe, Viri per ILLUSTRES ET NOBILISSIMI, non ut quin ſæpè ſepiùs à propoſito dimoverit muneris exiguitas. In re tam parvi momenti nunquam veſtrum fuiſſem auſus ambire Patrocinium, ni eo ipſo quod veſtro inſignita nomine, ſuum ab ipſo ſplendorem mutuaretur & gloriam; tantoque mihi in honorem verteret vobis præſtitum hominium, quantò magis elucent veſtra virtus & dignitas.

Verum quid loquor, dignitas statim occurret animo Nobilis ac vetus prosapia è dignitatum sinu quasi educta & enutrita. Offerunt sese mihi, Viri per celebre, non tam à dignitatibus, quam ipsa ab eis novâ luce coruscantes celebret; fas est: toga majores ex stirpe vestrâ in jure peritiâ, in rebus agendis solertiâ, consiliorum maturitate, ingenii acie atque probitate morum eo spectabiliere, quò antiquitùs major eos fama commendavit. Viros celebret de Republicâ optimè meritos & purpuræ fulgore nitentes. Neque cadent arma toga, & profectò quid de præfecturis militum, quid de eximiis ducibus, quid de equitibus enarrare valeat facundia, quod longè non superaverit eorum in certamine fortitudo strenua, in Angustiis manet imperterrita atque in difficilibus prudentia quà nulla major.

Multa quidem illa sunt, VIRI ILLUSTRISSIMI, quæ de prosapiâ Nobilissimâ paucis delibavi. Quanta occurent, si vestra, uti par est haud imparibus afferre merita, laudibus aggrederer. Jam jam deterret operi difficultas, vixque locum dicendi præbent tot tamque egregiæ dotes quarum encomia celebrare, tantum ut splendoris detrahere, quia nunquam satis laudandæ.

Nec mirum igitur in ordine melitensi ad altiores honorum apices evectos, præclarissima obeuntes munia; apud optimates existimatione florere singulari; non mirum ità plurimi vos facere summum Ordinis Magistrum ut in triremium

tuendæ religionis prætorem alterum è vobis jure merito assumpserit, alterum ad alios paret honores. Non mirum, inquam, tantâ vos gloriâ circumfulsos. Quantam etenim non meretur & vestra in Deum pietas, in proximum benevolentia, in egenos beneficentia, quantam non meretur vestra hæc animi magnitudo inter rerum varietates permanens inconcussa, sublimis sapientia quâ dignitatis vestra amplitudinem sic sustinatis; mentis hæc perspicatiæ & optimarum artium cognitione culta, morum elegantia quæ omnium vobis corda devincit; sed quam multa reticeo, & mihi liceat, Viri undequaque Clarissimi, omnique jure Commendatissimi, alioquin nativa non ferret hæc vestra modestia. Verum votorum intima plenicis expendent Theses meæ vestro consecratæ nomini, atque, uti spero benignè à vobis erit acceptum istud obsequii mei pignus, noscatis utinam quali affectu ac reverentiâ me semper vobis devotum & addictissimum profitebor.

DISSERTATIO

DE

PARALYSI.

DEFINITIO.

PARALYSIS est abolitio vel notabilis imminutio sensûs aut motûs, vel utriusque cùm affectarum partium laxitate, illæso manente sensorio interno.

Ex quâ definitione patet sensus tantùm externos in Paralysi lædi.

Usus tamen voluit ut per paralysim intelligeretur tantùm læsio tactûs & motus partis præcipuè mobilis; cum reliqui sensus afficiuntur, tunc dicitur Paralysis visûs, v. g. vel aud. &c.

DIFFERENTIÆ.

Dividitur Paralysis in universalem & particularem. Universalis est ea in quâ pars magna corporis afficitur ut medietas corporis, & tunc hemiplegia vocatur, ut omnes partes sub capite positæ, & tunc paraplegia dicitur.

Particularis nuncupatur cum brachium v. g. tibia &c. Paralysi laborant. Dividitur quoque in perfectam & in

DISSERTATIO

DE

PARALYSI.

DEFINITIO.

PARALYSIS est abolitio vel notabilis imminutio sensûs aut motûs, vel utriusque cùm affectarum partium laxitate, illæso manente sensorio interno.

Ex quâ definitione patet sensus tantùm externos in Paralysi lædi.

Usus tamen voluit ut per paralysim intelligeretur tantùm læsio tactûs & motus partis præcipuè mobilis; cum reliqui sensus afficiuntur, tunc dicitur Paralysis visûs, v. g. vel aud. &c.

DIFFERENTIÆ.

Dividitur Paralysis in universalem & particularem. Universalis est ea in quâ pars magna corporis afficitur ut medietas corporis, & tunc hemiplegia vocatur, ut omnes partes sub capite positæ, & tunc paraplegia dicitur.

Particularis nuncupatur cum brachium v. g. tibia &c. Paralysi laborant. Dividitur quoque in perfectam & in

imperfectam perfecta est quandò sensus & motus imperfecta verò quandò alter uter tantùm oboletur, vel valdè imminuitur; præterea nulli affectui succedit Paralysis & tunc protopatica vel primaria; vel alteri affectui succedit ut Apoplexiæ & tunc deüteropatica vel secundaria dicitur.

CAUSÆ.

Paralyseos causa proxima est impeditus fluor liquidi nervosi in membrum, vel nimia nervorum laxitas. Causæ remotæ quæcumque talem fluxum impedire, vel nervum nimis laxium reddere possunt vulnera * secando nervos, luxationes, ligaturæ, tumores comprimendo, suppurationes destruendo, materiæ viscosæ obstruendo, humiditates relaxando Paralysim creabunt. Secto namque vel contuso nervo, ad membrum ferri nequit fluidum nerveum, ossa luxata, tumores varii ut ædema, schyrrus, plhegmo, abscessus, exostoses, nimis turgida vasa sanguifera, corpora extranea ut Mercurius, Plumbum, Stannum, nervos comprimunt, undè denegatur transitus spiritibus animalibus per eorum cavitates fluxuris.

Obstruuntur nervi à materiebus viscosis in origine nervorum impactis vel ab ipsomet fluido nerveo nimis spisso; tales viscosæ materies à pravis digestionibus, ab alimentis crassis, à frigore externo, à metastasi aliquá præ primis post diuturnam colicam, post Apoplexiam oriuntur; ab eisdem causis spissum fit fluidum nerveum.

Relaxantur nervi ab omni causâ quæ humiditatem superfluam progenerat, ut potus aquosus nimius, tempestas australis, remora in locis humidis, gestatio vestimentorum madidorum, vita sedentaria, constitutio cachectica Hydropica, &c.

Cum à causis suprà enarratis afficiuntur nervi ad

partes infrà caput posítas prospicientes, fit paraplegia; si nervi ad unum corporis latus, hemiplegia, si ad membrum aliquod particulare prospicientes afficiantur nervi, oritur inde Paralysis particularis.

DIAGNOSIS.

Diagnosis & symptomata hujus affectûs ex definitione satis patent.

Quomodo autem illæso motu lædatur sensus & vicissim illæso sensu lædatur motus restat explicandum. Scire autem licet diversos esse qui motui & sensui inserviunt nervos, cum igitur fasciculi nervei qui ad musculos protenduntur sani erunt, affecti verò qui in papillas cutaneas abeunt, tunc absque ulla motûs noxâ lædetur sensus, & è contra absque ullâ sensûs noxâ lædetur motus; si sanis existentibus cutaneis nervis, afficiantur qui ad musculum feruntur, perit autem vel valdè imminuitur sensus & motus cum nervi utrique inservientes resolvuntur; membra Paralytica magis elongata & molliora sunt solito, hinc motibus à causis externis imprimendis valdè obsequiosa. Causarum signa externarum sensibus patent, aut ægrorum astantiumque relatu cognoscuntur.

Internarum diagnosis, habetur ex prægressis, ex cognito ægri temperamento, qui verò locus sit affectus docet scientia Anatomica; si enim facies resolvatur, cerebrum est affectum, si partes omnes capiti subjectæ sint Paralyticæ, spinæ dorsi læditur tota, si dimidia; & sic de cæteris.

PROGNOSIS.

Paralysis morbus est curatu difficilis, difficile etenim ad nervos usque penetrat remediorum energia; para-

plegia periculoſior hemiplegiâ. Hemiplegia ver periculoſior Paralyſi particulari : diù tamen vivunt Paralytici. Paralyſis perfecta curatur rariùs imperfectâ; univerſalis rariùs particulari; inveterata rariùs recenti ; à præciſione nervorum proveniens incurabilis , à compreſſis nervis niſi removeantur comprimentes cauſæ curari nequit; cum membrum marceſſit , vel ſummè frigeſcit , rarò vel numquam curatur ; ſenes juvenibus rariùs curantur.

Paralyſis quæ Apoplexiæ ſuccedit difficilis eſt curationis & periculoſa ob cauſæ vehementiam ; ob metum recidivæ , nam facilè in Apoplexiam degenerat. Hyëme difficiliùs quam æſtate curantur Paralyſes.

CURATIO.

Paralyſeos curationem antequam tradamus, duæ afferendæ obſervationes à patre cariſſimo communicatæ quæ magnam hujuſcem morbi thrapeïæ lucem infundent.

OBSERVATIO PRIMA.

SALVATOR *Barralier* forti donatus temperamento profeſſione agricola quinquageſimum novum ducens annum oriundus è pago Moſſanienſe dicto Arelatenſi urbe tribus diſtante Leücis hujuſque Arelatenſis urbis incola ſubitò Apoplexiâ correptus fuit die vigeſimâ ſeptimâ menſis Novembris anno 1740. horâ ſeptimâ matutinâ ; poſt Bihorium ab invaſione vocatus medicus eum abſque motu, & ſenſu jacentem inveni cum laborioſâ reſpiratione & pulſu parum à naturali recedente, adversùs tam atrocem morbum ſtatim omnem opem adhibui præſcripſi è brachio venæ ſectionem elapſis aliquot ho-

ris è jugulo, poſt è talo, depletis ſic ſufficienter vaſis artari emetici grana octo juſculo infundi * curavi; copioſa, & vomitu & ſeceſſu ſubſequitur evacuatio, horâ nonâ veſpertinâ abraſo capiti largum veſicatorium imponi jubeo invitis talibus auxiliis feliciter cæteroquin uccedentibus æger ferè totâ nocte obrutus eſt ſomno.

Sequente tamen die & menſis Novembris octavâ horâ ſeptimâ mediâ matutinâ tempeſtas ſilere incipit tranquillitate ſuccedente; caput multò liberiùs erat, pulſus meliorem obtinebat ſtatum, abſque labore peragebatur reſpiratio; à tali excuſſus ſomno neceſſaria poſtulat æger.

In ſanitatis via licet conſtituto ad novum præcavendum inſultum mannæ uncias duas & ſemicem & pulveris cornachini grana quadraginta in juſculo ſtatim præſcripſi ægro, in primis viis contentæ materies ano potenter eliminatæ fuêre. Præſcriptis & ſumptis remediis in hoc caſu ordinariis ab Apoplexiâ ſanus evaſit æger.

Curato morbo primario; de ſuccedaneo agebatur ſenſum & motum, brachium & tibia ſiniſtri lateris amiſerant perfecta Paralyſis paroxiſmi tempore orta hæc membra omninò occupabat, inaniaque veddebat. In hoc lacrymali ſtatu; omni ſpe exutus morbum cum vitâ tantùm finiturum dolens, novem diebus domi tranſactis noſocomium generale hujus civitatis Spiritum Sanctum dictum poſtulavit æger die ſextâ menſis Decembris hoc intravit. Commiſeratione percitus nova entavi conamina, ut infelici ſuccurrerem; ad metam propoſitum tritæ non ducebant viæ, novam ingreſſus um à Medicorum choro ſecedens. Minerale & animale egnum ſedulus ſed fruſtra, percurro, vegetale luſtro, & ſe ſe mihi offert planta ſpecifica, ad ſolamnem non olùm ſed & ad perfectam efficax medelam.

Paucis nunc expono methodum quam feliciter adibui.

Plurimos urticarum urentium fasciculos componi c
ravi & aulæ famulo imperavi, ut per horæ spatium
ter in die membra paralytica brachium scilicet & tibia
leniter percuteret, obtusâ urticarum acie, mutabant
fasciculi, ut indè dolens excitaretur pruritus & adv
carentur sanguis & spiritus animales ad partes affecta
levis hæc flagellatio tantam brachio tibiæque intu
mutationem ut quarto die utraque movere inceperit.

Tali flagellatione eodem modo per duodecim di
consecutivos continuatâ ægrum lecto solum & absq
ullius adjumento duodecimâ die descendentem lætus v
di, ambulavit adjuvante baculo quem paucis dieb
elapsis omnino abjecit; brachio autem utebatur Paral
tico. Ad pristinas recuperandas vires mansionem al
quam in nosocomio adhùc fecit, & ex eo sanitate ga
deus egressus est.

Sanus hodiè & incolumis est adeò ut diebus proxim
præteritis grato ductus animo domum petiit meam
gratias pro tanto munere ageret ampliſſimas. Domin
Delacetta hujusce urbis civis nobilissimus nosocomiiqu
suprà dicti rector, & Dominus *Proal* Pharmacopola
lius eventûs textes existunt ocularii.

OBSERVATIO SECUNDA.

JOSEPHUS JEHAN annum agens octavum hujusce u
bis Arelatensis oriundus, è parentibus fortunâ dest
tutis natus magnum frigus Januario mense anno 174
passus; paucos posteà dies intestinali vexatus est colicâ
egeni parentes omni ope carentem reliquerunt; pue
trinorum mensium spatio acerbissimorum colicorun
dolorum infelix & innocens extitit victima; hos dolore
exceperunt dolor & debilitas in ambabus tibiis & ii

ie adeò increvit malum ut utriuſque uſum omninò nitteret: poſtquam diù domi languerat ad noſocomium piritum Sanctum dictum ineunte menſe Mayo anno 745. tranſlatus eſt. Ibi per undecim menſes lecto fixus anſit abſque ullo tibiarum motu, & inſanabilis tamuam habitus anno 1746. Aprilis menſis die primâ reunte vice meâ ut noſocomium Medicus inviſerem; fortunatum inveni puerum in ſtatu ſuprà de ſcripto, otu & ſenſu in tibiis carentem adeò ut in iiſdem parus fortiter vellicatus & punctus nil ſentiret. Multiplici octus experientiâ & felici audax ſucceſſu quo non ùm recentes, ſed etiam inveteratas curavi paralyſes; icax urticationem ſcilicet adhibui remedium. Plurium paſſus erat puer macie confectus, atrophiâ tibiis minente. Juſſi ideò ut cautè leniter & lentè urticis rcuterentur membra paralytica intervallo longiſſimo diebus aliquot inter utramque urticationem relictis; eunte eodem Aprili menſe per aliquot dies parietibus tentatus ambulavit æger. Paucis diebus poſteà elapſis us abſque adjumento ambulavit, & tandem radicitùs ratus eſt. Rectoribus & paſtoribus ſuprà dicti noſocoi luculenter patuit hic caſus.

Ex præmiſſis novum & efficax emergit remedii genus, his minùs acerba fit paralyſeos prognoſis; ex his ut veteratas & inſanabiles tamquàm priùs habitas tractare ſcipiant paralyſes incitantur practici; ex his minùs rax *Jachini* dictum dùm loquitur.

Stultè faciunt qui ad reſoluta membra operam ponunt, origine naturali ignoratâ, nihilque proficies, niſi affectam prius partem noveris.

Ex his minùs ponderoſum minùſque notabile evadit *Galeno* Relatum exemplum de quodam pauſania, qui tribus digitis, ſervato motu ſenſum amiſerat & trinta jam diebus medicamentis ſatis idoneis digitis im-

positis nihil auxilii ſenſerat hunc enim cum *Galenus* vehiculo in dorſum lapſum cognoſceret conjecturam jec in primo exortu nervi poſt ſeptimam vertebram prod untis partem quampiam ab ictu fuiſſe inflammatam, nunc habere ſchyrroſam diſpoſitionem, ideoque illu ipſum medicamentum à digitis amotum illi ſpinæ par appoſuit: undè digiti læſi cum adſtantium admiratio fuêre reſtituti.

Ex his tamen non concludimus urticationi omne ceſſuram paralyſim, inſanabiles etenim exiſtunt paralyſ quædam ut quæ à diſſecto vel ſuppurato dependent ne vo. Aliæ licet ſanabiles, urticationi tamen non cedent ut quæ à luxato oſſe vel à tumore vel à corpore extra neo comprimente oriuntur, in his caſibus reponenda oſſ luxata in ſedem naturalem, tumores aufferendi, corpo ra extranea amovenda. Non damnamus remediorum ſy vam in practicorum libris paſſim obviam; adhibend ea utique ut variæ impleantur indicationes, ſic in co pore plethorico mittetur ſanguis dum turgent primæ vi evacuandæ vel emeticis vel catharticis, in ordine red gendæ digeſtiones ſtomachicis aquis thermalibus dicti

Brevitatis gratiâ cætera non enarramus remedia tùm externa tùm interna ut potè ubique obvia, & optatum finem ſæpiùs non attingentia nec diutiùs quoque immo rabimur in explicanda ad paralyſim curandam urtica rum urentium actione.

Quod agant remedia ſçire ſufficit, quomodò agan obſcurum nimis & utile minùs; urticatio extremas tùm nerveorum, tùm ſanguineorum vaſorum partes ſuccutit dilaceratque leniter; hæc ſuccuſſio extremitati nervo rum impreſſa eorum origini defertur, ſive per vibratio nem, fibrillarum nervearum, ſivè per refluxum fluid nervei, ſive totus vibretur nervus vel interna tantùm quædam fibrillæ, ſivè per alios quoſdam canales reflua fluidum nerveum, ſivè per alios quoſdam diverſos cele riùs ad cerebrum revehatur, quod luculenter ſatis non

dùm explicarunt phiziologi ; tunc impactæ amovenrur materiæ, obstructi reserantur canales , tonus redit naturalis : prætereà ad partes, stimulatas ex lege unionis animæ cum corpore uberiùs advocantur & sanguis & spiritus animales I : Forsan urticarum spiculæ nerveorum & sanguineorum vasorum è extremitatibus adhærent , easque continuò stimulant eorum oscillationes augendo * contentum in nervis fluidum spissum atterunt, ad progrediendum urgent , sicque nervos obstructione liberant.

Quid quid sit experientiâ & observationibus paternis constat, quod paralyses incurabiles tamquam habitæ, omnibus resistentes remediis , inveteratæ , cum imminente membrorum atrophiâ urticarum vim & energiam non elusêre. Auro sanè longè habendum in urticis latebat remedium ; hoc eò tutiùs abscondiderat natura , quod nihil tale suspicantibus omnium exposuerat oculis ; hoc extricavit pater summo paralyticorum bono , hoc nos jure utendo hæreditario præcoci licet publico tradimus dissertationiquè finem imponimus concludendo.

ERGO PARALYSI MEMBRORUM

URTICATIO.